



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 7. Obsidionis castra in urbem mutata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.
A. C. 1491.

duxit. Cunctis igitur copiis in unum collectis obsidioni datum est initium, ac primo feroces, viasque excavatas unacum Tablatae ponte occupant, ut inde exercitus in plana Regionis expeditius procurrare posset; postmodum castra metantur ab urbe uno lapide distita, firmo statuentes animo, se nunquam, nisi prius expugnata Granata Metropoli, inde recessuros; igitur præcipiti opera munimenta erigunt, vixque laborem absolvunt, cum Isabella Castellæ Regina unacum regia sobole ad castra perveniret, certum, deliberatumque sibi habens, nullatenus ex illis, nisi capta urbe recedere. Referunt Historicorum nonnulli, Reginam ad castra convolasse, ut Ferdinandi Regis consilia dissiparet, qui quidem Granatæ Regnum Castellano imperio adjungi consenserat, tanta vero repugnantia, ut suspicandi ansam daret, perinde ac si illud pro jure suo, cum totius exercitus sui arbiter esset, sibi soli vindicare moliretur, quinimo non desunt, qui affirmant, quod Ferdinandus id agere conatus sit, imo re ipsa executus fuisset, nisi Consalvus omnia Regis consilia evertisset.

§. VII.

Obsidionis castra in urbem mutata.

Raynald hoc
ann. n. 3. § 4. Prima, quæ Reginæ adventus diem sequebatur, nocte flamma Isabellæ tentorium

torium corripuit, ac continenti incendio
 plura alia magis vicina absumpsit; unde
 provide cautum, ut casæ ex lateribus erige-
 rentur tegulis coopertæ, quæ viarum in-
 intervallis, ad instar justæ urbis, ordine
 suo distinguerentur. Datum, acceptum-
 que negotium, & quodvis agmen suam
 regionem incredibili celeritate construere
 festinabat, moxque, ubi castra erant,
 urbs exurgebat turribus, mœnibus, ac
 profunda fossa circumcincta, & in qua-
 tuor præcipuas plateas, quæ ad quatuor
 urbis portas ducerent, distincta. Hoc
 opportuno necessitatis ingenio simul ob-
 viabatur, & periculo incendii, & ferme
 assiduis obsessorum eruptionibus. Acces-
 sit alia suscipiendi operis ratio; Ferdi-
 nandus enim mente prospexerat, obsidio-
 nis labores proximam quoque hyemem
 obtenturos, quare urbis hujus beneficio
 copias a rigidioris cœli injuriis tueri,
 consultissimum videbatur. Nova hæc ci-
 vitas, cui a sancta fide nomen datum est,
 summopere terrebat obsessos, cum inde
 fatali rudimento edocerentur, Hispanos
 animo constituisse, nonnisi expugnata
 urbe obsidioni finem imponere. Summus
 Pontifex, cum Reges Catholicos tanta
 amplificandæ fidei gloria accensos au-
 diisset, hac de causa ad eos literas de-
 dit, ac amplissimis sacris muneribus om-
 nes & singulos auxit, qui Ferdinando

Sæcul. XV.

A. C. 1491.

Sæcul. XV. ad tam pium opus subsidia præstarent.
 A.C. 1491. Data est hæc epistola Romæ die prima
Octobris.

§. VIII.

Granata expugnata.

Marian. lib.
25. c. 16. &
17.

Nil magis optabant Mauri, quam ut Ferdinandum ad hostium munimenta incautius procedentem, ad communis prælii discrimen compellere possent. At tamen Rex, cum sibi persuasum haberet, quod famis violentia sine cladis periculo brevi deditorem extorsura esset, anticipem certaminis fortunam experiri abhorruit. Nec eum spes sua fefellit; quippe cum Granatensis obsidio diutius, jamque octavum in mensem, diesque decem nimirum a die vigesima sexta Aprilis anni nonagesimi primi supra millesimum quadringentesimum usque ad anni sequentis diem secundam Januarii protraheretur, tandem Mauri pactis conditionibus urbem cedere compulsi sunt, postquam omnia perpeffi essent, quæ dirissima famis inclementia inferre solet; unde omni alimentorum genere destituti, opis ac consilii inopes, abjecta omnis auxilii spe horrenda mortis præludia experiebantur.

§. IX.

Deditionis pacta.

Ferme solidum bimestre effluxerat, & necdum deditionis pacta erigi poterant,